



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Svmma Practica Theologiae Mysticae**

**Gelen, Victor**

**Coloniae Agrippinae, 1652**

Articulus Quintus. A Theologia mystica arcendos esse malos, & incapaces.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9766**

*a* & imago. quia incipientium, & proficientium modus, ex sua natura, phantasmatum umbris, & distinctionibus subijcitur; perfectorum autem per dona intellectus, vel sapientiæ, quo ad fieri potest viuam, & claram imaginem vitæ æternæ, in se producit. hinc etiam ad pulchritudinem vniuersi contuendam, sufficientissimè diuina illa sapientia, creauit duo tantummodo luminaria, *b* luminare scilicet minus, vt præesset nocti; & luminare maius, vt præesset diei: alijs fideribus, ab his duobus abundanter, pro sua cuiusque capacitate participantibus. Vnde etiam incipientibus, & proficientibus, (quantumcunque benè sua peregerint) lumen minus, scil. naturalis modi operandi, perfectis autem lumen maius, scil. supernaturalis modi operandi, sufficit. Septimo, quod sicut modus naturaliter operandi, habet statum purgatiuū, scil. meditationis, & illuminatiuum, scil. aspirationis, ac perfectum, scil. contemplationis; sic etiam modus operandi supernaturaliter, habeat statum purgatiuū in priuatione, illuminatiuum in vnione, perfectissimū in transformatione. Octauo, quod vterque modus non tantum secundum hos tres status continuò proficiat: sed etiam, quod in exercitiis actus; & toties, quoties, in mentali oratione, sese mysticus Deo coniungere conatus fuerit, operationes intellectuales purgare, illuminare, & perficere habeat: pro vt etiam in praxi *c* latius ostensum est. vt autem hæ margaritæ ante porcos non projiciantur, consequenter dicimus,

*A Theologia Mystica arcendos esse malos  
& incapaces.*

## ARTICVLVS QVINTVS.

**C**VM [plerisque ad diuinam *d* & occultam diuinarum mentium Veritatem, aditus non pateat] sed [solis *e* viris sanctitatis studiosis, & amatoribus] aperiat; sollicitè agendum est, vt non tantum profani, ab ea arceantur, seu illi qui [sacris *f* nostræ religionis non sunt initiati] sed etiam, qui fœtoribus peccatorum, voluntariè, & voluptuose nigrescunt, vel qui nondum per mortificationis, & virtutis studia, animi candorem acquisuerunt.

Et sicut eiusmodi à sola notitia cohiberi debent, ita vel maximè in praxi ab omni felicitate mystica alieni censendi sunt, qui Dei sapientiam in mysterijs absconditam ignorantes, ingenij sui pruritu, excogitatas cõpositiones prædicare gestiunt; ea arrogantia præsumptione tumidi, vt quæ ignorant, *g* blasphemant, quæcunque autem naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpantur, verisque Dei amicis quoquo modo molestias inferant. de quibus in locis proprijs, & ad praxin accommodis *h* vtilius, quam hic latius dicendum iudicauimus. præsertim quod status priuationis opus cuiusq; rigidè satis examinet, ac ad purum excoquat; in supernaturalibus autem operandi modis, nullus figmentis relictus sit locus. Iam verò priusquam de statibus, & operationibus directè mysticis loquamur, de illis, quæ implicitè mystica aspiciunt, hic breuiter dicendū erit.

S T A-

*a* Hebr. 10. *b* Genes. 1. *c* infra 1. p. decis. 7. a. 8. & 2. p. par. 6. & 9. *d* S. Dion. de celest. hierar. c. 2. *e* Epist. ad Tit. *f* Theol. Myst. c. 3. *g* Epist. Iud. *h* infra Decis. 7. a. 7. & Decis. 7. a. 2.